



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ, & vera eligitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

DE SCIENTIA FUTVRORVM CONTINGENTIVM. 257

*Diss. 8.
art. 4.*
morum. Prædeterminatio verò ad materiale peccati, est à Deo solum tanquam à causa prima, & universalissima, ac generali provisore, subministrante causis secundis, tam liberis quam necessariis, media necessaria ad agendum. De quo plura in Tractatu de voluntate Dei.

ARTICVLVS VII.

An futura contingentia absoluta, sunt praesentia scientiae Dei æternæ, objectivæ tantum, an etiam realiter?

CVm S. Thomas art. 13, hujus questionis, Cagens de scientia Dei, & cognitione quam habet de futuris contingentibus, doceat futura contingentia, ab eo certò & distinctè cognosci, quia ejus æternitati sunt actu præsentia: quā præsentia, an objectivæ tantum, & intentionalis; an etiam physicæ, & reali? controvertitur inter Theologos, præsertim inter Thomistas, & Recentiores. Quod ut magis declaretur, & status hujus celebris difficultatis clarius percipiatur, quadam breviter hic præmittenda sunt. Unde sit

§. I.

Quibusdam premissis referuntur sententia, & vera eligitur.

208. **N**otandum primò. Quod sicut in rebus creatis duplex distingui solet à Philosophis præsentia, una realis & physica, quam habent quando producuntur & ponuntur extra suas causas. Altera intentionalis, & objectiva, quam habent in mente cognoscentes: habet enim omnis cognitionis, quod sit objecti sui repræsentatio, ipsumque, quatenus quedam est ejus similitudo, potentia cognoscendi quodammodo sifat, & præfens efficiat. Ita etiam duplex potest distingui in scientia Dei præsentia, respectu futurorum contingentium. Una ei soli propria, quatenus est viva, clara, & intuitiva sui objecti similitudo, ac repræsentatio. Altera ei conveniens ratione æternitatis, quæ ob suam infinitatem, ad illa virtualiter se coextendat, eaque in sinu suo vastissimo, ac infinito, contineat & complectatur; ita quod si per impossibile Deus non haberet futura contingentia in sua præscientia & cognitione præsentia, videret tamen illa præsentia in sua æternitate. Inquirimus ergo, an utroque modo Deus habeat futura contingentia sibi ab æterno præsentia, an verò solum primo?

209. Notandum secundò: Præsentiam realem & physicam futurorum contingentium in æternitate, tribus modis posse concepi, vel imaginari. Primò per quandam anticipatam illorum productionem in æternitate, distinctam ab illa quā producuntur in tempore: ita ut Antichristus v. g. concipiatur ut præsens in æternitate, quia in illa jam productus est, & positus extra suas causas. Secundo per coextensionem ipsius rei temporalis ad totam æternitatem, eo ferè modo, quo illi coextenderetur tempus infinitum, si daretur. Tertiò per coextensionem ipsius æternitatis ad illam differentiam temporis, in qua futura contingentia aliquando existent, & sicut præsentia. Certum est de fide, futura contingentia non esse Deo realiter & physicæ præsentia primo & secundo modo, cùm Scriptura testetur omnia incepisse in tempore, & nihil esse productum ab

æterno. Unde solum difficultas & controversia est de tertio modo, per coextensionem scilicet ipsius æternitatis ad illam differentiam temporis futuri, in qua Antichristus v. g. producetur. Queritur ergo, an æternitas expectare debeat ipsam existentiam, transitum, & fluxum rerum temporalium, ut illas in se contineat, & mensuraret: eo ferè modo quo pons in medio fluminis existens, vel arbor ad ripam illius plantata, expectat ipsum transitum, & fluxum aquæ, ad hoc ut illam possideat, vel mensureat: an verò illa ratione sua infinitatis virtualiter coextendat, non solum ad res præsentes, sed etiam ad præteritas & futuras; nec expectet quod illæ actū existant in propria mensura, ut illas complectatur, & mensuraret; sed præveniat, & præoccupet, ratione sue extensionis infinitæ, illarum præsentiam, & existentiam temporalem; & ratione sue indivisibilitatis, modo quodam indivisibili & immutabili ex parte sui, eas contineat; tota successione, & mutatione ex parte rerum temporalium se tenente? In qua difficultate, quæ ut constat, non est de solo nomine, aut de modo loquendi (ut quidam existimant) duæ sunt sententiaz extremitate oppositæ.

210. Prima absolute negat futura contingentia ab æterne esse Deo physicæ & realiter præsentia, ratione sue æternitatis, sed objectivæ tantum, & intentionaliter, ratione divinæ præscientie & cognitionis. Ita tenent Durandus, Scorus, Egidius Romanus, & Herveus: quos sequuntur Suarez, Vazquez, Alarcon, & alij Recentiores, paucis exceptis.

Secunda ex opposito docet quod licet res omnes creatae, in tempore, & in propria duratione incipient existere, ac proinde in illa physicæ ab eterno Deo non coexistant; in eternitate tamen illi ab æterno coexistunt physicæ, & realiter, & non solum objectivæ, & intentionaliter; quatenus æternitas, ratione sue infinitatis & indivisibilitatis, eas ambit & continet in uno nunc indivisibili, virtualiter correspontente illi differentia temporis, in qua res producuntur & existunt. Ita, præter Thomistas, docent Ricardus in 1. dist. 38. Abulensis in cap. 11. Iosue quest. 20. & sequentibus; & ex Recentioribus Molina h̄c disp. 13. Fonseca 6. Metaph. cap. 2. Granado Tract. 4. de Scientia Dei disp. 3. Ruizius disp. 28. fect. 3. & novissimè Claudius Typhanus in lib. de Ordine cap. 19. contra quos acriter stomachatur Alarcon, eò quod, cùm alij Theologi ejusdem Societatis, nihil magis horreant, quām hanc realē præsentiam rerum in eternitate, hi tamen illam admittant, & in castra veluti transeant aliena.

211. Dico igitur: Futura omnia contingentia, esse Deo ab æterno præsentia; non solum objectivæ, ratione sua præsentia, sed etiam realiter & physicæ, ratione sua æternitatis. Hæc conclusio, quatuor firmissimis, ac solidissimis nititur fundamentis. Primum sumitur ex autoritate Sanctorum Patrum. Secundum ex testimonio Sancti Thomæ. Tertium ex excellencia divina æternitatis. Quartum ex perfectione divinæ scientie, & ex ejus intuitione, ac invariabilitate. Tria prima hic exponemus, quartum constabit ex dicendis articulo sequenti.

Tom. I.

K x iij